

menta in Christo dilexit: patefact<sup>9</sup> autē fuit & erupit in tempore per incarnationem & nativitatem Filij Dei, precipuè vero in illius passione & morte, per quam sumum amorem nobis exhibuit: & deniq; in omnē æternitatem erga nos non extinguetur. Huic ergo cor tuum gelu constrictum admove, ut incalescat, & cum charitate Christi ardentissimè uniatur.

### CAPUT XXX.

QUOMODO DEUS ANIMÆ DEVOTÆ se patefaciat ut perfectissimam pulcritudinem.

*Psal. 104. Domine Deus meus, magnificatus es vehementer, induisti decorem, amictus lumine sicut vestimento.*

Sicut devota anima nihil chari<sup>9</sup> habet Christo, nec quicquam melius, preciosius & excellentius Deo: ita eodem nihil pulcrius, nihil speciosius ducit; quippe in quo tantam talemq; pulcritudinem animadvertit, quam nihil æquare, ipsiq; adeo beati Angeli in omnem æternitatem laudare fatis non possunt. Itaq; si ea nobis obtinge-